

*67. Instrumentum venditionis di
Adenolfo de Stampis in favore
della chiesa della Ss. Trinità*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*67. Instrumentum venditionis di
Adenolfo de Stampis in favore
della chiesa della Ss. Trinità*

1371-02-20

(c. 333v) In nomine Dei eterni et salvatoris nostri Iesu Christi. Anno a nativitate eius millesimo tricentesimo septuagesimo primo, regnante serenissima domina nostra Ioanna Dei gratia Hierusalem et Sicilie regina, ducatus Apulie et principatus Capue, Provincie et Forcalquerii ac Pedimontis comitissa, regnorum vero eius anno vicesimo nono feliciter amen, die vicesimo mensis februarii, none inditionis, apud civitatem Potentie.

Nos Antonius de Balba ditte civitatis annalis iudex, Matheus Cappellus de Auletta publicus ubilibet per provincias Principatus citra serras Montorii et ultra serras Montorii et Basilicate reginali autorithate notarius et subscripti testes ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripto publico notumfacimus et testamur quod in nostri presentia constitutus nobilis vir Andenolfus de Stampis de Potentia non vi, non dolo, non metu, nec aliqua suasionem induttus sed sua bona, mera et gratuita voluntate, vendidit, cedit et alienavit ac per fustem assignavit domno Principi Sacarino, archipresbitero ecclesie Sante Trinitatis de Potentia, et domno Riccardo de Amata de Potentie, prepositis ditte ecclesie, ut dixerunt, ibidem presentibus et recipientibus et ementibus nomine et pro parte ipsius ecclesie prelibate ac aliorum presbiterorum subcessorum suorum, petias duas terrarum sitas in tenimento civitatis Potentie, in contrata Via de Pilmentis; supra cuius unius petie ipsarum terrarum tenent heredes condam // (c. 334r) Galterii de Lacupensuli mediante sulco; a secunda parte superiori tenent ecclesia Santi Girardi et heredes condam iudicis Francisci de Lacupensuli, mediante comuni limite cum via vicinali; a tertia parte tenet ditta ecclesia

Sante Trinitatis; a quarta parte inferiori est via publica de Palmentis. Et alterius petie dittarum terrarum fines hii sunt videlicet: ab una parte tenet ditta ecclesia Sante Trinitatis mediante sulco comuni; a secunda parte superiori tenent heredes condam magistri Gerardi de Carruba, mediante limite comuni; a tertia parte tenent ditti heredes ipsius magistri Gerardi et notarius Iacobus de Stampis; a quarta parte inferiori est via de Palmentis, ut supra, et si qui alii sunt confines, ut dixerunt. Has autem terras predittas, qualiter sunt prescriptis finibus circumdatas per destinta <sic> latera, una cum iuribus, accessionibus et ingressionibus suis predittus Andenolfus venditor eisdem archipresbitero et domno Riccardo vendidit, dedit ac per fustem assignavit, ut dictum est, pro unciis tribus et tarenis viginti quatuor in carlenis argenti, sexaginta per uncias computatis, regni et iusti ponderis generalis. Quas quidem uncias tres et tarenos viginti quatuor predittus Andenolfus venditor a iam dittis emptoribus, in nostri presentia, presentialiter et manualiter recepit et habuit, nomine pretii supraditti, totum // (c. 334v) silicet pretium venditionis ipsius, renuntians expresse dictus venditor exceptioni non numerate pecunie, non ponderati, non eletti argenti et legi ressissorie que subvenit deceptis ultra dimidiam iusti pretii ac omni alii iuri et legum auxilio per quod posset dicta venditio ac huius scripti tenor in aliquo minui vel infringi, dans etiam et concedens dictus venditor dedit et tradidit tam predittis emptoribus quam alicui existenti, nomine et pro parte ipsius ecclesie Sante Trinitatis preditte, liberam, plenariam et omnimodam potestatem tenendi, vendendi, donandi, permutandi, nec non et quocumque modo voluerint alienandi dittas terras, cum omnibus iuribus, accessionibus et ingressionibus

suis. Promittens insuper ipse venditor supradittus per se suosque heredes eisdem emptoribus pro se ipsis ac per alios presbiteros <sic> quorum poterit interesse, litem vel controversiam ipsis emptoribus, ut supra, ullo unquam tempore non inferre, nec inferenti consentire, immo terras ipsas tam in proprietate quam in possessione ab omni homine legitime defendere, autorizare et disbrigare et maxime a fratribus et sororibus suis si forte vellent aliquod supra terris supradittis petere sic trattare et facere, ut ditta venditio et omnia et singula supracripta et infrascripta sint perpetua, firma, rata ac non contrafacere vel venire, per se vel alium vel aliquos, aliqua causa vel ingenio, de iure vel de fatto, // (c. 335r) in iudicio vel extra iudicium, obligans se ad penam dupplis <sic> ditte pecunie, medietatem ipsius pene reginali curie et reliquam medietatem dittis emptoribus pro se ipsis, ut supra, legitime sollemniterque stipulantibus; qua pena soluta vel non soluta aut gratiose remissa, supraditta omnia et singula in suo robore perseverent et ad maiorem cautelam prefatus Andenolfus venditor, in manibus dittorum emptorum, iuravit ad santa Dei evangelia tatta corporaliter sacramentum, omnia et singula in perpetuum observare et quodlibet premissorum facere ab omnibus observari. Unde ad futuram memoria ac dittorum emptorum vero quo supra cautelam, presens publicum instrumentum fattum est exinde per manus mei preditti notarii, signo meo solito signatum, signo et subscriptione mei qui supra iudicis ac signis et subscriptionibus subscriptorum testium roboratum.

6

2

3

Quod scripsi ego predittus notarius qui predittis omnibus
rogatus interfui et meo solito signo signavi. (SN) †
Ego Antonius de Balba iudex civitatis Potentie qui
supra † Ego notarius Angelus de Bonopari interfui
† Ego presbiter Leonardus de Potentia interfui †
Ego presbiter diaconus Ioannes de Carnia canonicus
Potentinus interfui † Ego Vincentius de Puntin(i) testis
sum Ego magister Girardus de Aymulino interfui

4

5

Così S qui, in seguito Palmentis

Così S per seu

Così S per? de Pulcino (ipotesi da docc. coevi)

Così S per Amelino (da docc. coevi)